

54
GRATULATIO,
AUGUSTISSIMIS

SERENISSIMI, POTENTISSIMI, INVICTISSIMIQUE

PRINCIPIS AC DOMINI,

D. VLADISLAI IV.

REGIS POLONIAE,

MAGNI DUCIS LITHVANIAE, RUSSIAE, PRUSSIAE,
MASOVIAE, SAMOGITIAE, LIVONIAE, SMOLENSCIAE,
SEVERIAE, CZERNHOVIAEQUE,

NEC NON

SVECORUM, GOTHORUM, VANDALORUMQUE
REGIS HAEREDITARIUM,

ET

SERENISSIMAE CELSISSIMAEQUE
PRINCIPIS AC DOMINAE

D. LUDOVICAE MARIAE
GONZAGAE,

REGINAE POLONIAE ET SVECIAE,
DUCIS MANTUAE ET MONTISFERRATI,
PRINCIPIS NIVERNENSIS
NUPTIIS,

DEVOTISSIMA MENTE HUMILLIMAQUE MANU
CONSECRATA A
JOHANNE PETRO TITIO.

THE UNIVERSITY OF CHICAGO

ALBERTUS MAGNUS

IN THE UNIVERSITY OF CHICAGO

THE UNIVERSITY OF CHICAGO

D. V. ADRIANUS

IN THE UNIVERSITY OF CHICAGO

E XXXX 177

IN THE UNIVERSITY OF CHICAGO

THE UNIVERSITY OF CHICAGO

IN THE UNIVERSITY OF CHICAGO

ALBERTUS MAGNUS

IN THE UNIVERSITY OF CHICAGO

IN THE UNIVERSITY OF CHICAGO

THE UNIVERSITY OF CHICAGO

ALBERTUS MAGNUS

IN THE UNIVERSITY OF CHICAGO

IN THE UNIVERSITY OF CHICAGO

IN THE UNIVERSITY OF CHICAGO

IN THE UNIVERSITY OF CHICAGO

THE UNIVERSITY OF CHICAGO

Publica dum fervent solenni gaudia plausu,
Dum varias inter pompas jam *Regius Urbem*
Intrat *Hymen*, & tot, qua sedula cunq; vagantur
Lumina, lætitiæ Monumenta videmus & Aras:
Nos quoq; devotæ signum suspendere mentis
Annisi, Tibi Te, REX MAGNE, in *Imagine* parvâ
Sistimus, atq; Tuam Famæ sacramus in *Æde*
Perpetis *Effigiem*; non ære aut marmore ductam
Phidiacâ cælante manu, pictamve colore
Artis Apellæ; tenui sed *Carminè* fictam,
VLADISLAE, favens audacibus annue (supplex
Te veneror,) cœptis, & nostros provehe cursûs
Adspirans; Semper Reges favere Camœnis.
Tu quoq; , quæ ferimus, LUDOVICA MARIA, sereno
Sume, precor, vultu: &, cûi sis nuptura Marito,
Non ignara licet, Musâ nunc indice disce.

Nec verò veneranda Tuæ cunabula Gentis,
Maxime Rex, primâ repetens ab origine, telam
Ordinar. Hæc alio nos tempore cura fatiget,
Cùm fortè illustres minùs, obscurâq; latentes
Scrutamur sub stirpe Patres, dubioq; nepoti
Eruimus. Quorsum labor hic in Principe tendat,
Sanguine Cæsareo & Proavis tot Regibus orto?
Nec Tua, (magna licet,) vel summa, vel unica laus est,
E tanto venisse satum, clarumq; Deorum
Esse genus. Quamvis ortus Tibi nulla parassent
Sceptra Tui, solium poteras Virtute mereri.
Nec Tibi Sarmaticus latos Septentrio fasces
Ante dedit, quàm Te, non uno fortibus armis

Hoste

Hofte prius fufo, & Patrio feliciter Orbe
Servato, dignum Sceptroq; Atavisq; probaffes .

Cùm Tua vix primis ætas adolefceret annis,
Mirati auguftas generofo in pectore dotes,
Te *Mofci* legere *Ducem*, & quà Ruffia vastos
Tendit ad Oceanum tractus, quos Volga pererrans
Cumq; suo Tanai Mæotidis unda Paludis
Alluit, imperio concordibus omnia votis
Subjecere Tuo : & lapsis spes unica Genti
Rebuseras, cùm tot, civili fracta tumultu
Demetri post fata, malis oppreffa jaceret.
Mox, cùm tam placidum præfracto Barbarus ore
Excutere auderet frænum, dextrâq; feroci
Juratam temerare fidem ; Gens perfida primæ
Materies Tibi laudis erat, famæq; fecutæ.
Ut Leo Masfylis nuper generatus in antris,
Quamprimum in nervis patrium sibi ludere robur
Senferit, egreditur lustris animofus, & hirtos
Concutiens armos, fortes examinat ungues ;
Non hunc Urfaferox, aut ulla Libyftidis oræ,
In filvis fortè occurrens, impunè laceffat
Bellua : fœdifragæ sic Tu perjuria gentis
Ulturus, dignas cepifti Regibus iras.
Arma Tuis aptas humeris, terrasq; rebelles
Ingressus, latè terrore & milite complex.
Contremuit, sceleris sibi conscius, illico *Mofcus*,
Et quo noluerat nuper sub Principe tutus
Degere, jam trepidans animi non sustinet hoftem.
Non congesti illum valli, non oppida muris

Clausa

Clausa juvant, tenebrisq; horrentes undiq; sylvæ;
Non alti nivium montes, non sæva tuentur
Frigora, queis oris sæpe ante saliva gelari,
Quàm delapsa solum possit contingere, fertur.
Omnibus his major, quàm se vastissima longè
Porrigit imperii moles, victricia circum
Signa gerens, stragem mucrone rubente dedisti.
Nec tantùm Scythici tremuit ferus accola Volgæ,
Quiq; bibunt Tanain, & quos sibi Taurica tellus
Vicinos habet: extremum rejecta sub axem
Permia victorem sensit percussa, Tuusq;
Miles ad Hircanì penetravit littoris undas.
Nec priùs ultorem Tua dextera condidit ensem,
Quàm patriæ cernens miseranda cadavera terræ
Moschus, & incineres conversa tot oppida, mœrens
Submissis veniam precibus deposceret, & Tu,
Vincendo toties lassatus & ipse, benignus
Annueres, Civi parcens, sed & hostibus æqvus.

Nec Tibi, post primi tam fausta pericula Martis,
Atq; rudimenta hæc tali indole digna, laborum,
Longa quies fortes passa est torpere lacertos.
Vix posito, nuper qui pro decore, *Optime Princeps,*
Et pro jure Tuo pugnârat, acinace, dulcis
Pro Patriæ rursus pia cingeris arma salute.
Hûic Thracum, irrumpens per Dacia rura, Tyrannus
Dira immissurus crudelis fulmina belli,
Europamq; Asiamq; movens, & viribus Afris
Horrendus, populorum examina longa trahebat:
Non Byzantiacæ cultor suffecerat oræ;

Non Hæmus satis unus erat, non Ismarus Hæmo
Additus, & Rhodope, conterminaq; oppida Ponto.
Exhaustæ populis Epirus & Helladis urbes,
Et Cyprus, & celebri Rhodos olim clara Colosso:
Descendensq; ferus per summa Ceraunia miles
Sithonias auxit turmas & Thessala signa.
Acciti Cilices, duriq; colonus Amani,
Cappadocumq; genus, vicinaq; Colchis Iberis,
Quosq; vagus dederat Taurus, quos Medus Orontes
Miserat, & fructu palmarum dives Idume.
Præterea misere suas læti ostia Nili,
Et Meroë fecunda viris, Libyeq; cohortes:
Queis Arabum tandem gens impia jungitur, & quos
Tigris & Euphrates cognati flumine fontis
Potârant; quosq; hîc omnes mora longa referre.
Venerat & prædæ sitiens ac sanguinis, atrox
Tartarus, Ismarii jussu Ductoris, & agmen
Addiderat: quales Austro si flante locustæ
Adveniant, densis obscurant aëra turmis.
Adde tot armorum species, tormentaq; magno,
Fulminis in morem, tonitru eructantia flammæ;
Vimq; Camelorum, & bello natos Elefantos.
Hos tamen ante omnes, animis elatus & annis,
Osmanus, cædem tantùm spirabat & ignes.
Qua-se-cunq; trucis vertebant signa cohortis,
Fama præit, damni venientis nuncia: Terror
It comes, & variæ teterrima Cladis imago,
Sanguineosq; humeris quassans Bellona capillos, Vincu-

Vincula mille sinu portans, & mille catenas,
Queis captivorum lachrymabile copulet agmen.:
Tum Furor & Cædes, Incendia vasta, Rapinæ,
Atra Fames, sæviq; pedissequa Martis Egestas,
Et quæ plura horret mens enumerare, sequuntur.
At non interea, dum detinet omnia luctus,
VLADISLAE, Tuæ cessit fiducia mentis,
Impavidum retinens inter discrimina vultum,
Opponis forti Te pectore, sanctaq; CHRISTI
PRO CRUCE Signa capis, Patriæ devota saluti:
Trajectoq; Tyrâ, petis imperterritus hostem,
Exiguas numero vires, sed vivida bello
Corda, nec adsvetos nisi palmam ferre maniplos,
Adducens. Sensit *Caracassius*, acer in armis;
Quem vastos tollentem animos, & magna tonantem
Nequicquam, docuit tandem Tua dextera vinci.
Miserat ille suo stolidam cum Principe vocem,
Non nisi Te castris exuto, (tanta supino
Spes erat!) apponi passurum fercula Cœnæ.
At non hæc Superi curârunt vota, sed auræ
Dispersere leves: & humum prius ore momordit
Ille suo, Valachos perfundens sanguine campos.
Viderat; atq; videns stragemq; fugamq; Suorum
Frenduit *Osmanus*: tantumq; ferocior ipse
Dedecus ulturus, vires mox colligit omnes,
Incumbitq; Tuis, velut imbri aut turbine, castris.
Tum verò Tua se, *Rex Invictissime*, Virtus
Exseruit. Non te, quos machina crebra vomebat,
Commovere globi; quamvis ante ora volarent

Tela

Tela, pedesq; Tuos; quamvis Tibi proximus ictu
Concideret Custos. Alacri discrimina vultu
Risisti: mediumq; ruens immersus in agmen,
Auspiciis Ductor, sed dextrâ munere functus
Militis, exemplo potius quàm voce monebas.
Quid multis? Cessit tandem, pacemq; rogavit
Osmanides: & jam trepidâ mansuetior agnâ,
Flexâ Victorem supplex cervice salutat.
Sic abit, & vitam Tibi se debere professus,
Threicias repetit properans inglorius arces.
Luxere Ismariaë matres, luxere Pelasgæ
Funera natorum, quos improbus hauserat ensis.
Flevit Arabs, orbusq; Syrus: qui Pharsala rura,
Emathiosq; colunt campos; Agarena quot usquam
Imperia auscultant, plus centum millia bello
Absorptos, casu totidem vel peste peremptos,
Deplorant lachrymis, detestanturq; gementes,
Nec prius immensi vis est satiata doloris,
Quàm laqueo vilis fregissent colla Tyranni.
Ast Te, devicto reducem feliciter hoste,
Læta videt, festoq; occurrens undiq; plausu
Sarmatia, augustâ cingit Tibi tempora lauru,
Tempora, Lechiadum posthinc gestura Coronas,
Salve, *Servator Patriæ!* Jam classica tandem
Rauca tubæq; silent; positisq; serenior armis
Appares. Et nos, Tua quo vestigia porro
Ordine nos ducunt, immoto calce sequemur.

Aurea Pax dulci jam regna quiete fovebat:
At Tu, quo florens se porro exerceat ætas,
Sollicitus quæris. Sedit sententia menti,

Externas

Externas lustrare plagas: & pigra perofus
Otia, diversoshominum cognoscere mores
Constituisti. Magnæclaras Alemannidos Urbes,
Atq; Italos ardes coràm Batavosq; videre.
Nec minor his dudum, famâ stimulante, cupido
Venerat: & grato sua pascere lumina visu,
Totq; gravem spoliis, præsentem posse tueri
JAGELLONI ADEN, avidi jam sæpè volebant.
Ergo viam, Comites cùm tanto Principe dignos
Junxisses lateri, felici Numine ductus,
Ingredieris. Primùm Te *Nissa* Silesidos oræ,
Austriacæq; Domûs ex sanguine Carolus ortus
Excipit, & (nitidæ cùm Templâ & Mœnia *Bresle*
Lustrasses, magnus, sed non tamen agnitus ulli
Hospes,) ad augustæ Capitolia celsa *Viennæ*
Mittit. Quàm læto Te CÆSAR Avunculus ore
Viderit, & quantis illâ sis cultus in Aulâ
Officiis, longum sit dicere. Bavarus inde,
Splendida cùm *Monachi* subiisses tecta superba,
Successit Princeps. Taceo, quos clara vetustis
Vindelicis Sedes, quos Urbs *Tibi Norica* plausus
Ediderit, Mœniq; *Moguntia* læta fluento.
Hinc per vitiferos Bacchi inter munera colles
Flumine devectum *Rheni*, lætæ undiq; Nymphæ
Dlq; loci, multâ gratantes voce salutant.
Sic *Trevir*, sic Te vetus illa *Colonia* tandem
Excipiunt. At cùm, *Belgarum* in limine tutum
Te posuisse pedem, vulgasset Fama Lovani,
Quis plausum illius gentis, quis gaudia fando

Explicet, & summos, Tibi quos impendit, honores?
Occurrere citi Proceres, deducere iussi
Bruxellas, ubi Te cognati sanguinis *Infans*
Eugenie, festo populi suscepit ovatu.
Mox pavida obsessæ tremuerunt mœnia *Bredæ*,
Miratæ subitò tot densa tonitrua crebris
Edita tormentis, *Spinolæ* cùm castra subisses.
Atq; hic, tam felix habitus *Mavortis* alumnus,
Non sibi postremæ, *Princeps fortissime*, laudi
Ducebat, sua se Tibi facta operasq; probasse.
Verùm age, jam *Belgas*, jam *Teutonis* oppida terræ,
Et turri æquantem se nubibus *Argentınam*
Linquimus, atq; tuis, uberrima *Gallia*, visis
Finibus, & *Rhetos* emensi, ac rura propinquæ
Helvetiæ, salvi felicem ex *Alpibus* altis
Cernimus *Italiam*. Quos illa dat obvia plausus!
Quàm properant portis bipatientibus! Hospite viso
Ut Cives stupuere novo, quem Civis ad instar
Mirantur *Latio* *Tyrreno*que ore loquentem.
Te læta *Insubrum*, *Ligurum* Te læta salutat
Urbs caput; *Urbini* Princeps inservit honori
Parmensisq; Tuo, *Phœbiq;* *Bonomia* sedes.
Cùm verò dominæ miranda *Palatia Romæ*
Intrares, *DI!* quæ facies fuit Urbis! ut olim
Cùm magni, victo feliciter hoste reversi,
Venere, augustumq; *Duces* egere triumphum.
Multa equidem dicenda forent, si singula plene
Persequar, & quo Te, *Campana* per arva moventem,
Regia Parthenope, quo florens *Tuscia* cultu,

Quo

Quo Veneti splendens exceperit Ordo Senatus,
Exhibitasq; canam Choreas, Spectacula, Ludos.
Sed mitto: Tecumq; domum festino, Tuisq;
Incolumem ac saluum Superum Te munere reddo.

At vos, Calliope, quid JAGELLONIUS HEROS
Ulterius, solio sceptrisq; potitus a vitis,
Sive togâ augustus, seu fortibus inclytus armis,
Gesserit, intentis, Divæ, nunc pandite seclis.

Cum Tuus è terris, famæ jam plenus & ævi,
VLADISLAE, Parens isset, numerumq; Deorum
Indigetum auxisset, Te spes fuit omnis in uno
Sarmatiæ; nec erat Sceptris Te dignior alter.

Proin grata unanimi clavum Tibi Patria Regni
Dat voto, & meritam cingit diademate frontem.

At non delicias, non mollem hæc fascia luxum
Occuluit: multos involverat illa labores.

Res docuit, cum mox aurum, Rex optime, ferro,

Loricâ vestem Tyriam, galeaq; coronam

Mutares, sceptriq; loco Tibi fulgidus ensis

Armaret dextram. Nec, qui concurreret, unus

Hostis erat: rupto cum fœdere Moscus in ipsis

Finibus hæreret; cum Dux Othomannicus inde

Instaret, nihil inde boni promitteret Arctos,

Geryonæ (vera est si fama,) triçorporis olim,

Aut Herili qualis facies fuit horrida, cui tres

Obtrigerant nascenti animæ, quem terna moventem

Arma, ferunt terno missum sub Tartara leto.

Fœdifragos igitur primùm compescere Moschos

Aggrederis: qui jam fusi per rura Litoa B 2 Smolen.

Smolenscam durâ circùm obsidione premebant.
Non illos gens nata domi, non barbara tantùm,
(Cazani, & Volgæ vicinus Tartarus undis,) *Sehino*
Turba sequebantur: diverso robur ab orbe
Accitum fuerat; socius cum Teutone Gallus
Et Scotus, & Batavùm miles, Gothicæq; cohortes,
Innumerum augebant agmen, vastosq; *Sehino*
Addiderant animos. Sed nil tamen extera virtus,
Nil peregrinæ artes, Mosco Ductore, valebant.
Strenuus occurris, *Rex magne*, adversaq; castris
Castra locas, parvâq; manu, non nomina s'vetus,
Sed gnavos numerare viros, tanta exuis armis
Agmina. Quid referam, quævis fusus cesserit hostis,
Prælia? quid captos toties sine sanguine vallos?
Quidve hîc sub dio vigilatas dicere noctes
Est opus, atq; Tuo curas pro milite, si quis
Saucius exisset pugna; cum sindona sæpe,
Castrorum Pater, ipse dares, quæ vulnera possent
Obvolvi? firmæ mox redditus ille saluti,
Acrior adversos, Duce Te, rursus ibat in hostes.
Sic sensim fugere illi, desertaq; turpi
Munimenta metu linquunt: sensitq; *Sehinus*
Obsessam nuper nunc ipse obsessus ad urbem.
Fractus ad extremum, frustra; Borysthenis alveo
Confusus, supplex se dedit: & hostica signa
Ante pedes jacuere Tuos; tum perfidus ille,
Ter caput inflectens, miserando cinctus abivit
Agmine. Victori pretium Severia pacis,
Terrarumq; super ditio latissima cessit.

Non fuit hæc uno victoria clara tropæo :
Duxq; Oſſolinus, fauſto velut omine, pompâ
Nuper inauditâ Romanam ingreſſus in Urbem,
Viſus erat verum jam tunc celebraſſe triumphum.

Sed quid *Amurathes*? Multa ille & dira minatus,
Et lætis, queis ſe fœcunda Podolia jaçtat,
Infuſus campis; ſubmiſſior inde, Tuoq;
Protinus aduentu conterritus, eſſera ponti
Pectora, & Oſmanni fata infelicia volvens,
Pacem orat: belli quam primus Abaſſius autor,
Infami enectus nodo, quaſi pignore firmat.

Jamq; Boryſthenidæ, jam Muſulmannia Turcæ
Corda quieſcebant: nondum tamen ulla Polonis
Facta quies Aquilis; ſed adhuc victricibus armis
Legitimo ſuper eſt reddenda *Boruffia* Regi.
Illam Scandiaci, ſubveçti Aquilone, Leones
Obruerant armis: & Drufida, Partheniamq;,
Brunoridosq; Lares, nonâ jam meſſe tenebant.
Dum mœſti trepidant Cives, Lechæa, fugatis
Otthomanûm Lunis pulchrè fulgentia, Pruffis
Signa micant campis: Gothus Urbes reddit ademptas,
Grataq; cognatæ coeunt in fœdera dextræ.

O nimum ſceptri felicia Regna Poloni!
O fortunatas Urbes, quæ munere Divûm
Et Regis virtute ſui, ſecura quietis
Tempora ſortitæ, tam dolci pace beantur!

At Tu, tergemina redimitus tempora Lauri,
Maçte animo, *Rex Magne*, tuo! Non impius armis
Te furor, aut inhians alienis dira cupido

Inducit:

Induit: infestum depellere finibus hostem,
Pro Patriæ pugnare focus, sacra jura tueri,
Optatam populis agrisq; reducere pacem,
Bellandi causa una fuit. Vos ite, profani,
Quos levis ambitio, quos ira nefanda, vel auri
Infinita fames, scelerata in prælia trudit:
Ite truces, lachrymis miserorum & sanguine læti.
Heu! quanto vobis stabit damnosa voluptas.
Quale olim pretium Superùm lanx iusta rependet!

Tu verò, matura simul mox creverit ætas,
SIGISMUNDE legens Magni CASIMIRE Parentis
Gesta Tui, veræ memor hinc decerpere disce
Semina Virtutis. Felix, qui, talia cernens
Præstò exempla domi, potes à Genitore doceri.

Arma Tua, & domito partos ex hoste triumphos,
Inclyte Rex, cecini. Sed adhuc jam plura supersunt:
Nec minus illustri fulges splendore *togatus*;
Utrumq; & *Ductor* bonus, & *Rex* optimus idem;

Atq; hinc *Virtutum* tot monstra venust a Tuarum
Invitant oculos. Pulchri dux agminis anteit
Grata DEO *Pietas*, vultusq; ad sidera tollit.
Hinc *Probitas* juncta est: sequitur jucunda quietæ
Pax mentis, nullà solitæ pallefcere culpâ.

Succedit, gestatq; Librum *Prudentia*, claros
Huc illuc volvens oculos, semperq; salutem
Respiciens Populi, Sceptro præsignis eburno.
Tum gladium lancemq; ferens, it lumine clauso
Justitia: hanc læto *Clementia* candida gressu
Excipit: Augusto sequitur venerabilis ore

Majestas;

Majestas; grato cūi juncta *Modestia* nexu
It comes: hinc constans, temerari nescia, dicti
Promissiq; *Fides* vultus ostendit honestos.

Nec non & sanæ genitrix pulcherrima mentis
Sobrietas præstò est: cui *Munificentia* nunquam
Defessa, & nullum *Bo nitas* discedere tristem

Quæ finit, atq; aliæ jungunt sua Numina Divæ.
O si tam pulchro nunc invigilare labori

Detur, & has etiam versu describere dotes!

Sed plura in præsens vix faserit addere tempus:

Et jam fortè diu nimium tenuisse videmur

Non uni tantùm præbendas Principis aures.

Nunc ad Te nostræ, *LVDOVICA MARIA*, Camœnæ

Deveniunt: tanto quam fata secunda Monarchæ

Augusti æterno Thalami jam fœdere jungunt.

Sis placida; & clemens, quam pinximus, *Icona Regis*

Accipe, *DIVA*, Tui, radiisq; tuere serenis.

Si non ad vivum, nec toto corpore, quantus

Ipse patet, fictum dedimus, (cùm nostra labori

Tàm magno cervix par haut queat esse ferendo,)

Sit satis, *in tenui* summas duxisse *Tabellâ*

Lineolas. At Tu præsens jam deniq; torum

Intimiùs poteris pernoscere *VLADISLAUM*.

Ingredere, ô felix; & tanti digna Mariti

Sponsa, subì nostræ pomœria lata Gedani.

Eccetot illustres, qui Te longo ordine ducunt,

Sarmatiæ Proceres, & Nobilitatis honorem

Innumeræ. Quantis studiis, quàm divite pompâ

Incedunt! *DI!* quàm gemmis auroq; refulgent

Omnia! quam varia & formis comitantur & armis

Agmina! quàm festus circumsonat undiq; plausus!
Omnes, REX VIVAT! VIVAT REGINA! precantur.
Ecce Tui populos, fidissima pectora, regni:
En primos Urbis Patres; florem inde Virorum,
Atq; suis Cives, quacunq; incedis, in armis
Conspicuos, & tot, stratis effusa viarum,
Diversæ ætatis, diversi millia sexus:
Omnes, REX VIVAT! VIVAT REGINA! precantur.
Ecce Triumphales etiam, REGINA, Colossos,
Mole gigantæâ Statuas, Arcusq; superbos,
Et quæ plura Tuofacta adspiciuntur honori:
Omnia, REX VIVAT! VIVAT REGINA! precantur.
Ecce. Sed ingressa est, & se jam REGIA celsis
SPONSA dedit tectis. Satis est, mea Musa: quid ultra
Addimus? Hoc unum vota inter publica, VIVAT
REX! VIVAT! VIVAT! VIVAT REGINA! precemur.

